

$\pi$  n  
3244



Q.K.  
4003



Q.K.  
4003

70  
II n  
3244

ORATIO FVNEBRIS,  
DE VITA ET MOR-  
TE CHRISTIANISSIMÆ  
PIENTISSIMAEQVE PRINCI-  
PIS AC DOMINÆ, DOMINÆ HEDWIGIS,  
ILLVSTRISSIMI HASSORVM PRINCIPIS, LV-  
DOVICI, Landgrauij, &c. dilectæ Coniugis, è celsissima  
Ducum Wirtebergensium ac Teccensium domo fami-  
liaq; oriundæ, quæ Anno salutis humanæ 1590.  
die 4. Martij, Martpurgi Cattorum,  
piè in Domino ob-  
dormiuit:

SCRIPTA ET RECITATA PVBLICE  
22. die Mensis eiusdem,

A B

ÆGIDIO HVNNIO, S.  
THEOLOGIÆ DOCTORE ET  
*Professore in Academiis  
Marpurgensi.*



FRANCOFVRTI AD MOENVM  
EXCVDEBAT IOAN-  
NES SPIES.

M. D. X. C. 3





O R A T I O  
 DE VITA ET MORTE  
 ILLVSTRISSIMAE PRINCIPIS AC  
 DOMINAE, DOMINAE HEDVVIGIS,  
 clementissimi Hassorum Landgrauij, LVD O-  
 VICI, dilectae Coniugis, beate  
 recordationis.



SYRACIDES ille, viri nobilitate generis, Magnificentia, pietate, virtute, sapientia, dexteritate consiliorum, literarumq; cultu splendidissimi, lectissima omnium ordinum & ætatum corona; Syracides, inquam, Iudaici populi Doctor Ecclesiasticus, vitæ humanæ lachrymabilem sortem peni-

tius contemplans in hâc tragicam vocem erumpit: Laboriosa, inquiens, atq; misera est omnium hominum vita, iam inde à natiuitatis die, donec in terram, communem omnium nostrûm matrem, reuertantur. Continuae hîc sunt curæ, sollicitudines, spes, ac deniq; mors: non minùs apud eum, qui folio Maieftatis infidet, quàm apud infimæ fortis hominem, neq; minùs apud illum, qui amictu serico & diademate superbit, atq; apud hunc, qui crudo lino vestitus est. Qua sententia vir sapiens fluxam & instabilem æui huius vitam, plenam miserijs, plenam infinitis curis, plenam ancipiti expectatione humanorum casuum & euentuum, adeoque, vt vna voce rem comprehendam, vanissima vanitate plenam esse conqueritur.

A 2      Certè



## ORATIO FVNEBRIS.

4 Certè si suam quisq; natiuitatem, tanquam actum primum Tragoediæ humanæ, ad calculum æstimationis reuocet: nemo est, qui ignoret, quantis cum doloribus in hanc miseriarum omnium vallem procreemur: quàm porrò imbelles, quàm nudi, quàm rerum omnium egeni, cunctisq; adminiculis vitæ hanc commodè transmittendi, quadam naturæ inopia, destituti. Ut memorabili exemplo res non careat: quis vnquam vixit in his terris Salomone Rege felicior? quis fama celebrior? quis admirandæ sapientiæ laude honoratior? quis throni regij maiestate eminentior? quis incredibili copia diuitiarum æquè affluens? quis deniq; omnibus huius vitæ præsidijs & ornamentis tam instructus, tam potens, tamq; gloriosus & illustris? At hic ipse non aliam sibi nascendi sortem obtigisse, atq; cæteris hominibus, libro, quem Sapientiæ titulo commendatum reliquit, ingenuè profitetur.

Iam cum animantia reliqua ipso propè die sui ortus pedibus insistere, de loco in locum progredi, matrumq; vbera, quibus alantur, inuenire queant: solus homo, non absq; plurimorum mensium ingenti sollicitudine, eget gestari, foueri, linteis inuolui, lactari, cibari, totoq; infantie tempore ab alieno præsidio, matris suæ cura fidelitateq; dependet. Reliqua vita perpetuis calamitatum periculorumq; procellis sic exposita est, vt irrefragabilis experientia veritatem illius peruulgatæ sententiæ comprobet, qua id, quod in vita præciosum apparet, aliud nil, nisi laborem & dolorem esse Spiritus sanctus pronunciat. Quam flebilem conditionem generis humani Solomon peculiari libro persequitur, vniuersæ tractationis statum hoc dicto verè Philosophico proponens & complectens: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,

ORATIO FVNEBRIS.

5

nitias, & eadem sapientissima voce suum illud Ecclesiasten claudens atq; finiens.

Iam si terminum vltimum vitæ humanæ spectes, est is principio medioq; quàm similimus. In mortem enim, tanquam luctuosam catastrophem, exit ea rerum ac turbarum humanarum Tragœdia: Vbi momento apparens illa vitæ huius felicitas euanescit, & quæ chara nobis fuerant, non absq; tristissimo desiderio sunt relinquenda.

Eandem vanitatem, indicatis causis atq; fontibus, non segniter expenderunt illi Veteris Nouiq; Testamenti Scriptores; quorum cor atq; linguam Domini Spiritus sic gubernauit, vt & veras hac de re sententias conciperent, & in nostrum vsum proderent, & exemplis illustratas quasi ob oculos sifterent, & hinc ad rationes piè cum viuendi, tum ex hoc miseriarum pelago feliciter eluctandi cohortarentur. Hinc illæ querelis intermixtæ similitudines, quibus temporalis huius vitæ fugacitas comparatur deflorescenti gramini, emarcescenti flori, defluentibus arborum folijs, vesti, quæ paulatim atteritur, sed & dissolubili fumo, vapori mox dissipando, nebulæ calore solis discussæ, vento transeunti nec reuertenti amplius, radio textoris, quin & filo textoris, pastorum tabernaculo de loco in locum facile mobili, fugienti vmbre, sermoni in aërem euanescenti, somnio in manibus terriculamētis ludificanti hominem, vnius diei hospiti, transeunti cursori siue nuncio, homini peregrinanti, nauigio celeriter præteruecto; quod nullum sui signum vestigiūm ue ponat: aui præteruolanti, quæ alarum impulsu aërem fundat quidem, nec tamen aliquam sui notam imprimat, telo deniq; ad præfixū scopum emissō, cuius itidem nullum in intersecto, rursūmq; collabente aëre vestigium conspiciatur. Quæ indubiè vera esse, præter

A 3      testimonia



## 6 ORATIO FVNEBRIS.

testimonia Scripturarum, ipsa insuper experientia cominus ostendit, cunctis sensibus hoc ingerens, mortem sine discretionem in quo suis lethifera sua spicula vibrare, & æquo pede regum pulsare turres, ac pauperum tabernas.

Quam mortis meditationem, cum ipsi quoque Ethnici veram esse philosophiam professi sunt: tum verò maximè Spiritus sanctus sapientiæ cœlestis portionem non ultimam in ea positam esse declarat: Doce nos (inquit ille Prophetarum facilè Coriphæus Moses) considerare, quòd moriendum nobis sit, vt ambulemus corde sapiente. Hæc namque meditatio vanitatis rerum humanarum, ad Dei timorem extimulat, humilitatem alit, corruptæ naturæ supercilium fastumque deprimit, auocat mentes non stupidas à terrenarum rerum desiderio, & ad vitæ melioris appetitionem attollit; incitat ad quærenda firma præsidia contra terrores mortis, conciliat prudentiam, quæ vltimi rerum omnium finis intuitu actiones hominum quàm rectissimè temperet ac moderetur: denique quasuis Christianas virtutes in nobis accendit & confirmat.

Cæterum vt acrioribus stimulis ad considerationem nostræ mortalitatis exuscitemur; placet intueri exemplum, quod luctuosissimum nobis ante paucos dies æternus Deus ob oculos posuit, euocans ex hoc corruptibili mundo Celsissimam illustrissimamque Principem ac Dominam, Dominam HEDWIGIN, Landgrauiam Hassiæ, &c. Christianissimi nostri Principis, LVDOVICI, Hassiæ Landgrauij Coniugem, beatæ laudatæque memoriæ; cuius ex hac vita emigratio ipsi quidem placida & exoptata contigit; inclyto autem marito, nobisque subditis acerbissimum dolorem, mœstitiamque concitauit.

Et vt euidentiùs appareat, quod quantumque bonum obitu



## ORATIO FVNEBRIS.

7

obitu præmaturo tantæ Principis nobis ereptum sit, quàm e contra funestum rebus nostris, cùm publicis, tum priuaris damnum illatum, quàm graue vulnus inflictum sit: visum est, hac oratione generosissimæ Landgrauia vitam in hac mortalitate laudabiliter exactam, & velut decurso spacio ad metam vsq; deductam paulò altiùs retexere: vt in persona tam sublimi, ipsum illud, quod de fugacitate præsentis vitæ sum præfatus, velut in illustri imagine proponatur, eademq; operâ defunctæ Principi iusta funebria persoluantur, nostræq; erga clementissimum magistratum sinceræ condolentiæ publica extet significatio, tanquam indubitatum symbolum nostræ in illum perpetuæ pietatis cum debita nunquam intermorituræ gratitudinis, humilitatis, obseruantia, studij, officij, seruitijq; testificatione coniunctæ.

**E**RGO vt narrationis telam exordiar, nata est beatissima Princeps, **HEDWIGIS**, anno ab orbe reparato supra millesimum quingentesimum quadagesimo septimo, decima quinta die Ianuarij, hora sexta matutina; Basileæ, in celeberrima florentissimaq; vrbe Rauracorum, quo propter motus per Germaniam concitatos illustrissimi parentes eius, vt infra dicitur, aliquandiu concefferant. Nata porrò est ijs parentibus, quos sancta fides, quos pietas, quos incorruptæ religionis ardor atque studium incredibile propè, ad immortalitatis laudem gloriamq; prouexit. Pater enim fuit **CHRISTOPHORVS**, Dux Vvirembergensis ac Teccensis. At quis quantusq; Princeps? Nimirum qui hûc omnem suam operam studiûmque conuertit, vt non solùm in Patrio Principatu; sed quoad fieri posset, apud exteras quoq; nationes illibata vigeret religio

ligio, in Repub. verò exoptata pax & tranquillitas regnaret: qui eximia in Deum pietate, flagrantissimo propagandæ veritatis Zelo, iusticiæ & æquitatis amore singulari, admirabili prudentia, rerumq; gerendarum vsu dexteritateque eximia, omnis denique virtutis officijq; cultu, tantam sibi laudem apud Deum, & commendationem apud Christianam posteritatem comparauit, vt celebribus illis in Scriptura decantatis Heroibus, Dauidi, Solomoni, Iosaphato, Hiskia & Iosia, suo modo atque ordine accenseri mereatur. Hoc, inquam, Heroë, tam illustri, tam sancto, tamque beato nata est inclyta HEDVVIGIS: Matre porrò ANNA MARIA, Brandenburgica, lectissima itidem pientissimáq; Principe, quæ anno superiore octuagesimo nono, flebilem hanc vitam cum alterius beatæ sempiternis gaudijs commutauit.

Incidit porrò nostræ huius Natiuitas in tempora Ecclesijs reformatis quàm maximè infesta & inimica, quando Carolus Imperator aduersum Smalcaldici foederis foecios, protestantes principes & ciuitates, victoriâ potitus, propè ex arbitrio constituebat omnia. Itaq; cum incendio illo, quod per Germaniam exarserat, vniuersa penè conflagratura viderentur: optimus Dux Christophorus Mompelgarto Basileam vnâ cum suis sese contulit, donec illæ turbæ Romanensium Pontificiorum concionibus ac molitionibus agitatae residerent & consulescerent, hacq; occasione Basileæ nata illustrissima Heduuigis, mox lauacro baptismi tingitur, Deiq; Spiritu verè regenerata in tabulas æterni foederis nomine suo refertur, adeoq; hæres omnium coelestium bonorum scribitur: spondente illius loco, seu potius supremi paruulorum Aduocati Iesu Christi fide iussionem renouante, & ex sacrosancto baptis-  
infan-

ORATIO FVNEBRIS. 9

infantulam leuante, generosa & illustri Domina, Domina ELISABETHA, Comitissa à Castel, nata ex antiqua & apprime nobili familia Comitum Helfensteinensium.

Semestrespacium commoratus Basileæ Dux Christophorus, cum iam illi periculosi motus, reconciliato Cæsari Vdalrico patre, bona ex parte conuiuissent, Montpeligartum redijt, suamq; exoptatam filiolarum primis infantia annis in rudimentis religiosæ pietatis institui, & ad preces Deo dicendas paulatim assuefieri curauit. Quæ piorum parentum operæ Deo longè sunt gratiores, quàm vniuersæ sanctulorum hypocritarum, Monachorum & Monialium, ἐδελοθησειαι, operaq; de humano arbitratu suscepta, quibus sibi frustra deseruiri Dominus apud Esaiam diserta voce clamat. Quanquam autem pietas & fides vera non trahitur ex parentibus, neque filij Dei vel ex sanguinibus, vel ex sensu Carnis, voluntatèue viri, sed ex Deo nascuntur: tamen quod virtutes attinet externas, quas morales dicunt, inficiari nemo potest, quod Ethnicus Poëta canit, fortibus & bonis procreari fortes. Et testatur experientia, quosdam heroicis motus animorumq; præclaros impetus, ceu virtutum igniculos, à progenitoribus in sobolem quasi transfundi & deriuari: qui si disciplinæ adminiculo regantur, & accedat supremi Pædagogi, Spiritus sancti, moderatio: solet tum in illustribus personis singulare quid eximiumq; planè existere. Itaq; sapientissimi parentes filiolarum nacti generosa indole præditam, pulcrèque ad virtutis rationes flexibilem, atque insuper arcana vi diuini spiritus ad sempiternum bonum in baptismo regeneritam & reformatam; eò iam minore negotio maioreq; successu sponte currentem incitare sanctis præceptiunculis valuerunt. His virtutis & honestatis incunabulis quàm pulcerrimè coeptis, pietatisq;

B religio-



religiosæ fundamentis iactis atque positis, cùm post obitum Magnanimi Herois fortissimiq; Ducis, Vdalrici patris, princeps Christophorus Mompeligarto ad Reipub. gubernationem in patriam terram euocaretur, suæq; principalis, vti vocant, residentia sedem; Stutgardia, quæ totius Ducatus Metropolis est, collocaret: pari deinceps fide religiosissimi parentes hanc prædilectam filiam *ἐν παραδείσῳ καὶ ὑπερθεοῦ καὶ* secundum Paulinam exhortationem curârunt instituendam. Neq; caruit optato successu hæc illorum accurata diligentia: siquidem disciplina domestica Deus superna sua gratia clementer annuebat ac benedicebat. Sub quibus etiam tyrocinijs sanctimonie Christianæ (quibus ad dicendas preces, ad cantiones Ecclesiasticas decantandas, ad ediscendos Psalmos Dauidicos, ad recitanda capita catechetica, ad frequentandas conciones sacras, ad crebrum Sacramenti coenæ Dominicæ usum, ad diurnam nocturnamq; lectionem Scripturæ Propheticae & Apostolicae, nostra hæc velut in gremio coelestis sapientiae enutriebatur) incredibile est, quântum in timore Domini, quantum in cognitione mysteriorum Dei, quantum in omni pietate honestateq; profecerit: incrementa salutaria coelitus largiente Dei Spiritu, & bonum illud opus, quod in tenello pectore generosissimæ puellæ misericorditer inchoauerat, indies confirmante ac prouehente.

Quantum igitur alij laxatis disciplinae vinculis inagnata crescunt malitia: tantum sub accuratae institutionis exercitijs adolescebat nostra in illa plusquam transmarina sapientia, cuius radix, initium, & corona, Syracide contestante, est Timor Domini: & ita quidem adolescebat, vt iam illustris virgo virtutibus eam ætatem quàm maximè condecentibus insigniter exulta, cum primis autem in fide Iesu Christi

ORATIO FVNEBRIS. II

su Christi magis magisq; constabilita, magnis ac fermè insolitis progressibus ad ætatem plenè adultam Christi (vt Apostolus nominat) elaboraret, quæ in ipsius agnitione saluifica, in Christiana prudentia, & incontaminata vita, ceu perfectionis cardine quodam vertitur ac voluitur.

Constat, aliàs Adolescentiæ ætatem esse naturâ lubricam, infirmam, pronam ad voluptates, ad intemperantiam propensam, ad quæuis vitia flagitiaq; suo pte impetu procliuem, atq; adeò mille tendiculis improbi & maligni Spiritus, infinitisq; deceptionum illecebris, & mundi corruptelis obnoxia. Nam in eo flore ætatis maximè omnium prodit sese ingenitus ille deprauatæ naturæ morbus; quando haud aliter, atq; calx affusa aqua, aut ignis oleo infuso, plena vi exæstuat indomita cõcupiscentia, totumq; Chaos humanorum affectuum in apertum sese profert; vt & ætas non sit absimilis ferocienti equo, qui excusso sessore, suo fertur impetu, donec aut freno iniecto coërceatur, aut ipse se præcipitet. Maximè verò in Aulis Magnatum innumeras occasiones ad seductionem exquisitissimè comparatas nunquam non obijcit ac subministrat Diabolus. Vnde fit, vt qui primis annis rectam viam honestatis ingressi spem de se præclaram concitauerant, mox vbi limen adolescentiæ contigerint, suis affectibus acti præcipites è stadio virtutis exorbitent, seq; patientur abripi in viam voluptatis atq; vitij, quæ ad temporalem & æternum interitum longissimè latissimèq; patet. At Nostra hæc è cursu pietatis & officij semel coepto nullis modis aut rationibus se transuersam abripi est passa. Non illam generis sublimitas ad fastum inflare, non aulæ splendor ad illicita desideria rerum terrenarum inflammare, non carnis infirmitas ad inconcessas voluptates impellere, non ipse Diabolus, licèt in omnes occasiones



siones deceptionum acriter intentus, hunc pulcerrimum eius cursum vel inhibere vel retardare potuit, quin semitam pietatis ingressa semel inexpugnabili proposito in ea perseueraret, & ad immortalitatis decustanquam propositum *Βεγαβείον* concitato expeditoq; cursu contenderet. Utinam verò Iuventus vtriusque sexus in eiusmodi exemplaria virtutum oculos animosq; defigeret, quibus ad sanctam imitationem inflammati Iuvenes pariter & puellæ, omissis huius mundi nugis, in pietate sese exercerent, quæ huius simul ac venturæ vitæ promissionibus insignis & beata est. Sic persisterent in inchoato bono; sic in Dei gratia, in charitate Iesu Christi, in communicatione spiritus, in foedere baptismi, in consortio sanctorum hominum & Angelorum permanerent; sic viam mandatorum Domini, cum maximè tutam, tum minimè salebrosam aut impeditam, inoffenso pede currerent, & innocentiae semitam in ambulatibus lucem atq; facem in verbo suo præferret Dei spiritus, vt ad exitiales errorum & impietatis scopulos nunquam periculosius impingerent aut interirent. Ultimam semper in conspectu haberent & in cordibus suis circumferrent memorabilem illam planèq; diuinam sententiam, quæ ad vitæ castimoniam sectandam Psaltes Israël's Iuuentutem exuscitaturus Psal. 119. quærit: Quomodo seruabit adolescens immaculatam viam suam? & per *τη γοσσα τοδοσι* ipse sibi respondet ac dicit: custodiendo mandata tua.

Sed vt redeam, vnde sum digressus: claras istas animi dotes, quibus tanquam preciosissimis gemmis virgineum ipsius pectus vndiquaque splendebat, mirificè commendabat corporalis formæ venustas & elegantia, statura ea, quæ tam sublimem Heroïnâ egregiè condecoraret: Va-  
letudo

ORATIO FVNEBRIS.

letudo firma & integra, & in muliebri corpore virile robur membrorum, constitutio totiusque corporis habitus longè optimus & præstantissimus. Quibus dotibus, & animi, & corporis, addo etiam conditionis, seu, vt vulgò nominant, fortunæ, Dominus ad secuturum Coniugium amplissimum illam præparare voluit, vt tanquam è cœlestis sapientiæ palatijs, his maximè gemmis, his margaritis, his plusquam aureis monilibus, hoc præclarissimarum virtutum augusto decentique habitu verè illustris & insignis procedens, futuro sponso suo modis omnibus accepta & commendabilis euaderet. Itaq; cùm clementissimus princeps noster ac Dominus, Dominus Ludouicus, Hassiæ Landgravius, ad aulam Vvирtenbergici Ducis ab inclyto patre mitteretur, vt apud exteros aliquem sibi vsum & experientiam, velut adminiculum rerum in omni vita benedextrè que gerendarum acquireret: factum est singulari Dei prouidentia, vt in notitiam generosissimæ virginis perueniret, ex notitia intuituque morum eius, puram puri amoris flammam conciperet, & in votis hoc vnicè haberet, vt si DEO inprimis, dehinc laudatissimis vtrinque parentibus sic videretur, hanc potissimùm sibi vxorem, hanc solam fortunæ vtriusque consortem, hanc omnis vitæ sociam comitemque habere contingeret. Placebat vicissim sanctæ beatæque Virgini pietas eximia Landgrauij, & vitæ morumque inculpata integritas: nec non cætera dona, quæ ad exquisitam commendationem celsitudinis eius abunde sufficerent. Vtriusque voto cœlitus affulgebat illa rerum omnium sapientissima gubernatrix, æterni DEI prouidentia. Hæc namque est, quæ Adamo suam EVAM, è lateribus eius sumptam, in vxorem tradidit; hæc Abrahamo SARAM suam adduxit;

B 3

hæc

—11130



hæc Isaaco REBECCAE nuptias conciliauit; hæc innocentissimo Iuueni Tobiaë filiam Raguëlis matrimonij nexu iunxit & copulauit: hæc suam cuique fidelium vxorem, cuique vicissim vxori suum maritum arcana ratione designat, tandemq; submotis vniuersis obstaculis, coniugali fœdere associat. Hæc sola coniugem prudentem & cordatam è diuinæ bonitatis thesauro largitur ei, qui timet ac reueretur Dominum, & sanctis vijs eius inambulat, vt Psalmista refert. Sic ergò præfulgente nutu DEI, & optatissimorum parentum consensione ex vtraque parte haud difficulter impetrata, iungitur inclyta HEDVVIGIS inclyto Heroi Ludouico, celebranturque nuptiæ decima die Maij, Anno salutis Millesimo quingentesimo sexagesimo tertio. Sic duæ splendidissimæ familiæ iam antè non vltima propinquitate, antiqua necessitudine, societate religionis, & officiorum communicatione coniunctissimæ, nouo nouæ affinitatis nexu firmiùs astrictæ copulatæque fuerunt. Et quoniam hoc Connubium ex animi sententia cùm ipsorummet coniugum, tum charissimorum vtrobique parentum cesserat (crescebat enim Coniugalis amor indies, & insigni exemplo concordiaë animi illorum magis magisq; coalescebant); commodum euenit, vt recens contracta affinitas arctiori propinquitati necessitudiniqu; ineundè ansam quãdam porrigeret. Nam triennio pòst illustrissimus Hassorum princeps, Vvilmus Landgravius Dominus noster clementissimus, in matrimonij fidem asciiuit nostræ Dominaë sororem, Sabina, prælustre illud decus & orna mentum fœminei sexus, itidem sanctè recordationis Principem: & anno superiore proximo inclytus Landgravius Georgius Eleonoram, ex cãdem antiquissima domo Ducum Vvirtembergensium oriun-



ORATIO FVNEBRIS. 15

oriundam, quę prius Anhaltini Principis coniux fuerat. Sic Coniugiũ Domine nostre cum eminentissimo marito beneceptũ splendida fuit occasio tam multiplicis affinitatis inter vtriusq; familię personas contrahendę, exemplo, vt mirę rarõ, sic ad omnem posteritatem deprędicando.

Quanquam autem Princeps LVDOVICVS & ipsius prædilecta coniux, HEDVIGIS, ardentibus exoptabant votis, vt matrimonij sui viuos ac lætos fructus perciperent; hoc est, liberos procrearēt, in quibus etiã post fata sua viuerent : tamen quia Domino secus fuit visum : in paterna ipsius volũtate humiliter acquierunt. Est enim fœcunditas eiusmodi donum, quod per se hominem nec acceptum Deo, nec inuisum reddit, æternãq; saluti eius nec confert nec officit: Cũque in hac senescentis mundi nouissima ætate in deterius vniuersa ruant, ac inter mala cætera, quę genus humanum premunt & affliçant, vltimum nequaquam sit, effrenis illa liberorum inobedientia : haud rarõ vsu venit, vt liberos non habere, beneficium sit; habere autem, calamitas reputetur, si nimirum mali sint, si minũs obsequentes, si degeneres, si à maiorum auita virtute exorbitent, & ad contraria vitia flagitiaq; diuertant & defleant. Incidunt etiam nonnunquam tempora periculi formidinisq; plena, vbi fœcundis mulieribus, ipsa Scriptura teste, beatiore prædicantur steriles, quę non pariunt.

Neque verõ quisquam existimare debet, vel Saram, vel Rebeccam, vel Rahelem, vel Annam matrem Samuëlis, vel Elizabetham Ioannis Baptistę matrem, cũ adhuc steriles essent, Deo fuisse minũs gratas, minũs acceptas, quã cũ multõ pòst fœcunditatis donum adeptę sunt. Nam etiam in illa sterilitatis conditione placuerunt Domino per fidem, quę sola cũ personas tum actiones hominum



minum Deo commendat : quæ etiam præstitit, vt enumeratæ sanctæ foeminæ animis essent foecundæ ad iusticiæ fructus in laudem Dei hominumq; vtilitatem proferendos.

Consimili pacto generosa nostra animo fuit & felicissimo & longè fertilissimo, hoc vnicè dans operam, vt virtutibus Christianis operibusq; bonis esset grauida, ijs verò maximè, quæ ad spiritualem ornatum huius sexus, Scriptura definiente, pertinent. Quarum prima & suprema est, vera in Deum, & quem orbi Redemptorem misit, Iesum Christum fiducia. Penes hanc quippe fons omnis nostræ coram Deo valentis iusticiæ residet, in hac omnis nostræ beatitudinis ratio versatur: non sanè quâ virtus quædam est; sed quâ suum correlatum respicit, & in Iesum Christum fertur, qui vniuersæ salutis hominum  $\alpha$  &  $\omega$ , principium & finis est. Quamobrem Dei gratuitum fauorem Christi; sacrosanctum meritum viua iusticiaq; fide complexa, huc toto studio enitebatur, vt semel conceptam non excuteret amplius languentem etiam medijs ad id diuinitus ordinatis firmaret, quassatamq; reficeret ac consolidaret. Hæc sanctum pectus illius sic peruaserat, sic intimè occupârat, vt in omni sua tribulatione ad Deum tanquam salutis inexpugnabilem petram firmissimamq; turrim confugeret, inq; Christi bonitatem & misericordiam plena fiducia recumberet ac seruaretur. Cuius rei non ignobile documentum est, Celsitudinis eius symbolum Germanicum: *Ich traue Gott/in aller Noth*. Quo non obscure testificabatur, se omnia cæterarum rerum fiducia, in Deum solum cunctæ salutis ac spei suæ ancoram habere defixam: quo vnico præsidio freta & confisa minimè dubitet aduersus quasuis procellas angustiarum immota consistere, & ex aduersitatum fluctibus subinde ad incolumitatis portum appellere.

## ORATIO FVNEBRIS.



pellere. Hæc porrò fides, quia neque nascitur nobiscum, nec arbitrii humani facultate acquiritur, nec, vt illi moralium virtutū habitus, crebris comparatur actionibus, hominum conatu susceptis; sed per auditū verbi superna virtute diuini spiritus ingeneratur: Idcirco vt olim in baptismi lauacro, pura quædā flāmula viuæ regenerationis fideiq; in Celsitud. eius corde fuit accēsa: ita salutari organo verbi sui spiritus sanctus hoc nobile bonum in illa mirificè confirmauit & adauxit: vt matrona pientissima nunquam non suā haberet adornatam lampadem, pia meditatione verbi ceu sacro oleo illam instruens ac subinde fouens, ne fidei diuinum lumen illud deficeret aut penitus extingueretur.

Verissimum est, incredibilem esse vim confirmatę consuetudinis, siue ad ad bonum, siue ad malum. Princeps nostra sic à terrenis assueuerat lectiōi sacrorum Bibliorum, vt pōst etiam in matrimonio viuens ne vnum quidē diem sinē aliquot capitum Biblicorum lectiōe præmitteret, sed suas cum manētum vesperi præcisè obseruaret horas, quas saluberrimæ huic exercitatiōi condixerat. Hic Celsitudinis eius labor non fuit inanis aut irritus in Domino: Fructus hinc sibi decerpfit & genere varios, & delectatiōe suaues, & multiplici vtilitate insignes, & nullis vnquam seculis vel pœnitendos vel interituros. Continua quippe lectiōe sacrarum literarum eam sibi notitiā historiarum Biblicarum comparauit, cum Theologicæ cognitionis thesaurum collegit, vt & historias exactè meminisset, & sententias insigniores quàm familiarissimas sibi redditas expeditè referret, & ad rem præsentem, cuius incidebat mentio, concinnè appositéq; traduceret. Neq; verò in hoc genere palam concessisset multis exercitatis pastoribus Ecclesia-

C rum,

rum, siue rerum, quas memoria tenebat, varietatem, siue dexteritatem allegandi, & in applicando accuratum iudicium, siue de controuersis etiam capitibus Christianæ fidei conferendi vim facultatemq; consideres? Et, qui summus est longeq; pulcerrimus verbi diuini fructus, eas in fide Iesu Christi radices egit, vt (quod euentus docuit) nulla vi aduersitatum, nullo tentationum impetu de præsidio salutis, cui domum suam superstruxerat, deici subuertiq; posset. Fuit ei verbum Domini, quod diurna nocturnaq; meditatione voluebat & versabat, quædam ad salutem, vt Apostolus definit, potētia, fuit odor vitæ ad vitam, fuit spiritus sancti vehiculum, fideiq; alendę salutare medium, fuit in rebus dubijs & impeditis fidissimus consiliarius, fuit inter exitiales tenebras mundi huius, clara lucerna pedum. Hoc namque verbum, Dauide teste, dirigit gressus piorum, recreat animas, dat sapientiam paruulis, exhilarat cor, illuminat oculos, moderatur & cohibet impotentis naturæ affectus in rebus secundis, in aduersis certum solatium præbet, in vita & morte cultoribus suis fragrantissimum vigorem immortalitatis tam spirat efficaciter, vt diuini spiritus vim atque sensum, in hoc verbo viuidissimè sese exerentē, adeoq; venturi seculi virtutes, vt Scriptura loquitur, gustu minimè stupido persentiscat.

Porro fides in Deum, adiunctam sibi ceu sororem habet charitatem, & quidem sic intimè adiunctam, vt à se inuicem in fidelium cordibus separari distrahiq; non possint. Vnde & Apostolus confirmat, in Christo Iesu valere nihil, præter fidem, quæ per charitatem sit efficax. Ne igitur illa Christianæ fidei professio inanis esset iactantia, ne (quemadmodū de hypocritis charitate in proximum destitutis

ORATIO FVNEBRIS. 19

Atutis idem Apostolus enunciat ) haberetur æs resonans  
 aut cymbalum tinniens: inclyta matrona hanc quoq; cha-  
 ritatis virtutem sanctè castèque sibi colendam duxit. Nihil  
 hîc ago de ea dilectione, qua maritum suam complexa est,  
 qua se illi fidissimum adiutorium in quibusuis fortunæ ca-  
 sibus sic exhibuit, sic eū intimè dilexit, vt in illo, secundum  
 Deum, penitus & in solidum acquiesceret. De ea dilectio-  
 ne nobis hîc sermo est, quæ proximum generatim respicit,  
 & ad huius vel prouehendos rectos conatus, vel tribuen-  
 dum ei, quod suum est, vel supplendam eius inopiam, vel  
 quoquo modo debito iuuandum illum, liberalem auxilia-  
 remque manum porrigit: & omnino circa proximi utilita-  
 tes procurandas vnicè occupata est. In hac tam eximia Vir-  
 tute sectanda hoc studuit inclyta Heduuigis, vt eam factò  
 potiùs exprimeret, operibusque misericordiæ contestatam  
 redderet: quàm verbis inanibus ambitiosè iactaret & ven-  
 ditaret. Ita namque Ioannes Apostolus & Euangelista nos  
 docuit: Filioli, inquit, ne diligamus sermone neque lin-  
 gua; sed opere & veritate. Ex hac in proximum dilectione  
 enata est hæc sancta munificentia, qua nos Concionatores  
 & Precones verbi liberalissimè profecuta est. Vt ræceam  
 quotidiana Celsitudinis eius in nos Marpurgensis Ecclesiæ  
 ministros beneficia, quæ innumera sunt; silentio certè mi-  
 nimè prætereundum est, quòd ante quinquennium amplif-  
 simam pecuniæ summam in eum vsum contulit, vt auctis  
 ex illorum annuo censu stipendijs viueremus vnâ cum no-  
 stris commodiùs; quòd item Concinatorum vrbis huius  
 vxoribus etiam post maritorum obitum de certo domici-  
 lio prospiciendum duxit, eiusque rei gratia peculiare ædes  
 emit; quòd denique in sustentationem viduarum sacro-  
 sancti ministerij regionis huius non exiguam pecuniarum

C 2 vim



vim paulò ante suum ex hac mortali vita discessum testamento legavit. Quibus omnibus coniunctim & seorsim singulis, se ut nutricem Ecclesiæ Iesu Christi re & facto demonstravit, & quàm sanctè esset erga ministerium verbi affecta, luculenter edocuit: secuta in hoc præceptum Apostolicum Diui Pauli, monentis, ut qui eruditur verbo, omnis generis bona communicet ei, qui se catechizat vel erudit: assignata ibidem hac grauißima ratione: Quicquid seminaverit homo, hoc & metet. Nam qui seminat per carnem suam, de carne metet corruptionem: sed qui seminat per spiritum, de spiritu metet vitam æternam. Bonum igitur faciendone defatigemur, tempore enim suo metemus non defatigati.

Iam in pauperes & egenos quàm sese exhibuit liberalem & munificam? quàm ad inopiam illorum subleuandam, promptam & alacrem? adeò ut eorum ne quidem in extremis agens quiuerit obliuisci. Siquidem ut nunquam non egenis clementer sua liberalitate subuenit: sic paulò antè, quàm hinc emigraret, liberalissimum subsidium in usum pauperum, qui in Xenodochijs nostris aluntur, ordinavit & disposuit, utque dispositio ea haberetur rata, intimo affectu cum exoptauit tum obsecrauit.

Quàm ergò liberalem messem putabimus ei paratã in illa beata resurrectione iustorum? Si Christus etiam potum aquæ frigidæ sitiendi datum, incompensatum non relinquit perhibet: quid de tot amplissimis eleemosynis, quibus egenorum corda exhilarauit, fuerit sentiendum? Præsertim cum eleemosynas suas dederit non hypocritico studio sub opinione meriti, non ad ambitiosam ostentationem, sed neque parcè, aut cum quadam animi pœnitidine; sed secundùm præceptum Psalmi liberali manu sparsit deditque

ORATIO FVNEBRIS.

que pauperibus, iusticia eius manebit in seculum seculi, & cornu eius exaltabitur cum gloria. Sicut enim ipsius Celsi homines egenos in omni vita sibi habuit quam commendatissimos; sic vicissim illi pientissimam suam benefactricem Deo pijs precibus commendârunt, in vniuersali resurrectione, præclarum ei perhibituri testimonium fidei, charitatis, misericordiæ, & beneficentiæ coram gloriosissimo iudice viuorum & mortuorum.

Pergamus cæteras eius laudes persequi. Nemo sanus dubitat, ocium esse puluinar Satane, irritamentum libidinum fomentum malorum omnium. Quò tetrius autem foediúsque malum est ignauum ocium; eò salubrior est contraria huic vitio virtus, quæ diligentia vel sedulitas nominatur. Hæc namq; præstat, vt & circa reliquas virtutes homo non torpeat; sed excusso pigritiæ veterno actiones producat quàm pulcherrimas, deuitetque flagitiorum laqueos, quibus irretire Diabolus cum potest tum solet homines desidiæ pigritiæque deditos. Collaudat sedulitatem & in laborando diligentiam passim ille Doctor sapientiæ, Rex Solomon: prædicat verò illam maximè in foeminio sexu, quãdo per insignem *Ἐπιτύπωσις* introducit mulierem cordatam, gnauam, industriam, laboriosam; eamq; margaritis nobiliorem prædicat, quæ indefesso labore suo rem familiarem augeat, agros & vineas acquirat, & naus instar opes è longinquo aduehat, quæ fusum & colum tractet, ceterisque laboribus domi & ruri cum præsit, tum ipsa quoque sedulas manus admoueat. Qua laborum assiduitate tristem famem, inedia & penuriam ab ædium suarum limine pellat, & domesticis cum liberalem victum, tum aduersus hybernum frigus sufficientem amictum suppeditet. Talis verè fuit illustrissima Domina nostra.

oup

C 3 diamque



diamq; toto pectore detestabatur, sciens, homines nihil agendo discere paulatim malè agere. Semper itaq; cū per valetudinem poterat, & à lectione sacròrum vacabat, inuenta est aliquid facere earum operarum, quæ & piæ matronæ conuenirent, & à suæ conditionis eminentia non viderentur alienæ. Ad eandem *Φιλοπονία* Gynæceum aulicum quoque non tam commonefactionibus, quàm exemplo suo incitabat. Neque enim operæ istæ, quæ manu perficiuntur, ad solos homines gregarios ablegandæ sunt, sed ad quosuis cuiusque ordinis & conditionis pertinent; ita tamen, vt quisque propria tractet, non aliena; viri agant, quæ viris, foeminæ quæ foeminis conueniunt; hæ rursus secundum distinctas vocationes distinctas quoque præstent operas. Si Hectoris vxor rectè laudatur ab Homero, quòd licet regio orta sanguine non dubitauit mariti equis subministrare pabulum, qui labor vilior apparebat, quàm qui regis personæ congrueret: quid ni multò magis laudanda fuerit Princeps nostra quòd operas ordini suo aptas atq; congruas faciendo, ignauum ocium à se depulit, eorumq; peccatorum occasionem deuitauit, quæ ocium longa serie consequuntur? Dedit enim natura illustribus quoque personis non caput duntaxat, sed & manus: quod Rex Alphonsus cuidam suorum consiliariorum sapienter respondisse fertur.

Persequerer sigillatim virtutes reliquas, & singulas singulis laudum encomijs pro viribus exornarem, nisi temporis ratio breuitatem in dicendo mihi præscriberet, & ad reliquam orationis partem expediendam inuitaret. Vt in fascem conijciam: fuit ipsius Celsitudo Spiritus sancti templum pulcherrimum, & optimarum præstantissimarumq; virtutum speculum lucidissimum ac splendidissimum, in quo



## ORATIO FVNEBRIS.

23

quo refulgentem licebat contueri pietatem, fidem, notitiam Saluatoris mundi, dilectionem erga principem maritum sinceram, cum decenti subiectione castitateque coniunctam, in rebus prosperis piam moderationem, in aduersis subeundis ac perferendis animi robur excelsum & inuictum, liberalitatem insuper & beneficentiam, humanitatem & humilitatem Deo simul & hominibus gratissimam: quarum omnium & singularum multoties illustra dedit specimina & documenta.

Neq; tamen hæc à quoquam eò velim intelligi, quòd piè defunctam Principem planè facere aut potius fingere velim ἀναμάρτητον. Quis enim est, qui ab omni peccato sit immunis? siquidem & iustus in die cadit septies & resurgit. Et quia alioquin in omnibus omnium Regnorum & Regionum aulis ingens dominatur vanitas, plurimæque peccandi occasiones sese offerunt; quid mirum, si interdum etiam sancti Reges & Principes, piæ Reginae aut Dominae aliquid præter officium admittant, & labantur quidem; sed Domino manum supponente non corruant. Atque huc pertinet vniuersus locus de infirmitatibus in carne reliquis; quas inuenias etiam apud Patriarcham Abraham, Prophetam Mosen, Sacerdotem Aaron, Regem Dauidem, Iosaphatum, Hiskiam, Iosiam, Paulum, Petrum, cunctosque adeò sanctos, qui vnquam vsquam locorum, terrarum ac gentium extiterunt. Omnibus dicendum fuit: Credo remissionem peccatorum: omnibus orandum fuit: Remitte nobis debita nostra. Pro remissione peccati orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno, inquit Psalmista & Propheta Regius. Et rursum: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Quod demissa humilitate agnouit in sese Celsissima Landgrauias; ideoque hanc sibi operam

ram dandam censuit, vt peccata sua confiteretur Domino, vt fiducia Mediatoris illorum condonationem impetraret, vt virtute sancti spiritus expurgaret ea, quantum in hac naturæ fragilitate fieri poterat. Itaque hæ reliquæ infirmitatū nec virtutes, quibus fulsit, obscurare, nec de enumeratis laudibus quicquam diminuere possunt atque detrahere: cū peccata quidem electorum sint tecta, sint expiata, sint æterna obliuione deleta & inducta precio- so filii Dei sanguine: Virtutes autem operaq; bona coram Deo in perpetua memoria versentur, quæ non solū in hoc seculo compensat ampliter, sed etiam in futuro liberalissi- mē remunerabitur.

Venio nunc ad eam vitæ partem, quæ de pristino statu re- ctæ valetudinis deiectam optimam Principem & diuturni temporis morbo afflictam affectamque tandem ex hac hu- mana conuersatione subduxit & eripuit. Morbus fuit hy- drops, vt omnes nouimus; qui si radices egerit in natura, extirpari sinè singulari ope auxilioque numinis haud po- test. Itaque posteaquam hoc malum etiam in Celsissima nostra Domina inualuerat, nullis medicamentis curari, nullis antidotis profligari potuit.

Tentata fuerunt omnia, nec prætermisum quicquam, quod ad rem facere videbatur. Verū nihil profectum, ni- hil inuentum, quo inueteratum malum à radice reuelli posset. Volebat autem cœlestis Pater hanc suam filiam sub schola crucis exerceri, vt per alienum opus, suum propriū, quod bonitatis & misericordiæ est, eò rectiūs & expeditiūs in illa perficeret. Siquidē cū iudicamur, à Domino cor- ripimur, ne cum mundo hoc pereamus. Neque nouum aut inusitatum est, quòd Dominus electos suos sæpe cum diu- turnis morbis conflictari sinit. Idem accidit Iobo, pietatis  
& pa-

& patientiæ exemplari: idē sancto Regi Assæ, idē multis alijs, quorum Euangelica meminit historia. Et lentis eiusmodi morbis præparantur pij ad peccata profundius agnoscenda, ad abijciendū calamitosæ vitæ huius desiderium, ad appetendam resolutionem corporis, & emigrationem ex hoc mundo, qui totus in maligno positus est. Itaque non temerè precamur in formula solennium precum: A subitanea & improvisa morte, libera nos Domine.

Quoniam autem morbus per integrum annum octuagesimum nonum ingrauescebat: Celsitudo ipsius licet cōstitutis in aula temporibus Sacramento corporis & sanguinis Domini Iesu debita cum deuotione quàm religiosissimè vti consueuisset; tamen nouissimo aduersæ suæ valetudinis anno frequentius etiam, quàm vnquam antehac, coest vsa; nimirum vt aduersus sensum peccati & mortis terrores sese hoc sacratissimo pignore Noui Testamenti, sumptione corporis & sanguinis Christi, muniret & confirmaret: præmissa semper humili & verè pia confessione peccatorum suorum perceptaque vicissim absolutione Euangelica, seu denunciatione gratuiti fauoris Dei & remissionis peccatorum. Et quod hîc prætereundum nequaquam est, semel atque iterū hoc anno ante sumptionem coenæ, suam de mysterio coenæ Dominicæ confessionem luculentam edidit, disertè confirmans, se eam sententiam, quam inde à primis annis sub institutione paterna didicerit, iudicare verbo Dei consentaneam, quam etiam nobis Concionatoribus antehac multoties fuerit professâ, à qua per Dei gratiam ne tantillum quidem recedere, sed in eadem ad finem vsque perseuerare sensè constituerit. Etsi enim mysterij huius profunditatem ratione sua perscrutari nequeat; tamen quia verborum Testamenti sensus sit planus & perspicuus,

D cuus,



cuus, se non aliter ea, atque sonant, accipere, & in ista simplicitate acquiescere. Simulque à me petijt distinctis vicibus (quod norunt personæ, quæ actibus illis interfuerūt), vt, si ex hac ærumnosa vita euocaretur, vellem sibi suæ in confessione modò dicta constantiæ perseuerantiæq; publicum in concione funebri perhibere testimonium. Quia etiam per aduersam valetudinem conciones in sacello aulico frequentare postremo anno haud poterat, curabat sibi diebus Dominicis & feriatis ex postillis incomparabilis viri Dei, Domini Doctoris Martini Lutheri, priuatim prælegi Evangeliorum & epistolarum Dominicalium enarrationem, quam auidissimè audiebat, indeque suam fidem egregiè confirmabat.

Die 23. Februarij sub noctem sensibiliter intendebat vis morbi, vt colligere promptum foret, instare propediem resolutionem corporis. Factum id est ea ipsa nocte, qua cometa non procul à lucidissimo Hespero conspectus est. Ex eo inquam, tempore magis atque magis ingrauescebat morbus, deficiebant vires, omniaque ad mortem spectabant. Nec tamen inter illos dolores vllam impatientiæ significationem edebat, sed in voluntate Domini se plenè acquiescere dictis factisque testabatur; promissiones ex Dei verbo propositas summo cū desiderio excipiebat, annuebat, & vocis assensione comprobabat, seque Deo res vniuersas suas commendasse, suamque voluntatem ipsius clementi arbitrio submittere perspicuè profitebatur.

Die tertia Martij ad viam illam vniuersæ carnis sese toto conatu accingens, denuò salutari alimonia viuifici corporis preciosiq; sanguinis Domini ei tanquam viatico presentissimo se instruendam curauit, quantumuis paucis antè septimanis, octaua nempe Februarij die, eodem Eucharistiæ  
sacra-

sacramento religiosè vfa fuerat. Fideli diligentia secum expenderat mandatum spiritus sancti, qui frequentem huius longè saluberrimi sacramenti vsum nobis commendat, quòd ex eo vera fide percepto viua in cunctis aduersitatibus animiq; perturbationibus consolatio promanet. Actione ea absoluta, hanc præclaram vocem edidit: *Nun bin Ich allerdings bereit.* Paulò post cum illustrissimo marito propè ad dimidiæ horræ spaciū collocūta, eundem vltimò salutatum præpotentis & æterni Dei tutelæ præsidioq; commendavit, rursūq; memorabili voce testata est, se abdicata omnium rerum humanarum cura nihil aliud expectare, quàm beatam ex hoc seculo emigrationem.

Quam etiam Dominus Celsitudini eius tranquillam & verè beatam benignissimè concessit. Sequentem enim nocte inter crebras consolationes, quas ex Dei verbo animam agenti proponebam, preces etiam, quibus Celsitudini eius voce præibam, ipsamet iam fermè ad limen mortis consistens, suas ad precādum iungebat & eleuabat manus, & licèt lingua beneficium suum negaret; tamen ex euidente manuū iunctura, & gemitibus ab intimis præcordijs ductis animaduersum luculenter est, ipsam in vltimo suo agone Deum inclamare pro liberatione diu multūmque expe-  
 dita: & dicto citiùs inter illas ardentissimas preces, morte tranquilla placidaque sinè vllius perturbationis sensu decedens, animam suam Deo patri, & filio eius Iesu Christo, spirituique sancto, cōditori, Redemptori, & sanctificatori suo reddidit, inter exorientis diei quarti, mensis Martii, horam secundam & tertiam matutinam: assistente multisq; cum lachrymis inspectante sorore, illustrissima Principe ac Domina, Domina Elisabetha, inclyti Palatini, Georgii Gustaui,

D. 2 stau,



## ORATIO FVNEBRIS.

fraui, lectissima sapientissimaque coniuge (cuius Celsitudi-  
 nem non dubito singulari nutu Dei excitatam huc venisse,  
 vt ægrotanti morientique sorori vltima pietatis officia so-  
 lueret) inspectante item & illachrymante nobilium matro-  
 narum ac virginum, aliarumque personarum aulicarum,  
 corona; cum eadem illa nocte, qua rebus humanis exem-  
 pta est, vt & præcedentibus nonnullis, crebra chasmata in-  
 cendiaque in aëre superiore apparuissent, suamque Domi-  
 nam vix tridui spacio nō absq; omine vitam alterius seculi  
 præcessissent quædā aulicæ personæ, quædā verò mortuam  
 essent insecutæ. Et quod negligendum non est, vix ante no-  
 uem menses è viuis excefferat beatæ nostræ Landgraviæ  
 mater exoptatissima, Diua ANNA MARIA, Ducis omniū  
 ætatū seculorumque memoria dignissimi, Christophori  
 Vuirtembergici, serenæ recordationis coniux: eam nō mul-  
 tō post secuta est Diua ÆMYLIA, inter filias natu quarta; nūc  
 verò insecuta filia natu maxima: itidem in Diuarum Heroi-  
 narum Catalogum à Deo ipso relata. O funestum & la-  
 chrymabile tempus, quod intra tres quadrantes anni vnus  
 tria splendidissima lumina in vna eademque familia extin-  
 xit! O rebus humanis inuidam & inuisam diem, quæ mari-  
 to Landgrauio prædilectam coniugem, quæ fratri Vuirten-  
 bergico Heroi, & sororibus amantissimam sororem, quæ  
 inclytæ Aulæ suam præsidem, quæ nobilissimo Gynæceo  
 suam matrem, quæ ministris verbi nutritiam suam, paupe-  
 ribus altricem beneficentissimam, miseris & afflictis suam  
 aram, suum portum, suum asylum, vniuersæ subditæ genti  
 suam Dominam, toti denique regioni huic suum illustre  
 decus adeoque coronam suam eripuit! Hinc meritò lu-  
 get Princeps, ingemiscit domus Vuirtembergica, afflictan-  
 tur Aulæ Hassiacæ, moeret Nobilitas equestris, squalent Ec-  
 clesia-

clēsiarum ministri, tota longè latèque Hassia, & in hac omnes singuliq̄ue ordines, tam mansuetam, tam salutarem, tam clementem beneficamque Dominam multo cum gemitu requirunt & desiderant. Sit interim hoc in communi luctu commune solatium, quòd illam non amisimus, sed præmisimus, in æternam illam donum beatitudinis, in quam suo quisque fidelium præstituto tempore, vocante & iubente Deo, concedet.

Non diffiteor, potuisse nunquam satis laudatam Principem ætatis ratione viuere diutiùs: (attigit enim annos quadraginta tres, septimanas sex, dies itidem sex) sed Deo secus erat visum, qui cunctos menses nostros & dies in numero habens, pro arcana sua sapientia nouit habetque causas, quòd quastantam principem vix ætatis humanæ medium curriculum emensam ad se ex hac turba & colluione clementer euocare, nobisque nimum mature subducere voluerit: potissimum, vt hanc sibi intimè dilectam animam imminentibus malis eriperet, & quia placuit illa Deo, propter hoc (inquit Liber Sapientiæ) properauit Dominus educere illam è medio iniquitatum. Vt enim non omnes omnium arborum fructus Autumni tempore expectant; sed quidam etiam inter nobilissimos æstate media ad instam maturitatem proueniunt: sic quàm plurima præstantissima Dei organa maturitate sua grauiorem senectam anteuertunt, nonnulli etiam electi in ipso ætatis flore, tanquam verno tempore Deo & Christo satis superque maturi sunt, qui cælestis regni domicilio inferantur. Ipsi certè Principi piè demortuæ mali nihil accidit. Soluta namque morbo diuturno, cunctisque malis huius mudi felicissimè defuncta & exempta viuit regnatque in æterna beatitate, gaudióque tanto, quantum nullus vnquam vidit oculus, nulla humana au-

diuit auris, nullius in hac mortalitate cor complecti cogi-  
 tando, nedum pleno sensu percipere valuit. Nunc de vni-  
 uersis erumnis, quas perpessa est, de morte, quam superauit  
 de portis inferiorum, quas Christi ope deuicit, sempi-  
 tum longéq; gloriosissimum agit triumphum. Nunc verè  
 intelligit, quod adhuc viuens ex Paulo didicerat, omnes  
 huius mundi miseras, afflictiones, persecutiones, dolores,  
 tormenta suppliciaque, si in vnum congerantur, nec pon-  
 dere, nec magnitudine, nec affectione animorum, nec diu-  
 rnitate, multoque minùs immensa perpetuitatis æterni-  
 tatisque mole conferri posse. Quantum etiam discrimen  
 est inter perfectissimum Deum & egenas creaturas: tanto  
 tamque immenso interuallo voluptates omnes, quæ exter-  
 renarum rerum delectatione capiuntur, infra dulcedinem  
 maiestatemque eius gaudii subsidunt, quod ex inenarrabili  
 sensu, intuitu & perfruitione summi & eminentissimi Bo-  
 ni, quod ipse Deus est, percipitur. Illæ namque voluptates  
 rebus creatis superstructæ sunt, hæc autem alterius seculi  
 beatitas ipso creatore nititur; illæ circa huius mundi ludi-  
 cra versantur, hæc in coelestibus fundata est; illæ caducæ  
 sunt, hæc perennis; illæ fluxæ & in singulas propè horas mu-  
 tabiles, hæc vicissim nullis definita terminis nullisque secu-  
 lorum finibus circumscripta est; illarum nos aliquandò ca-  
 pit fatietas, oblectatióque prior in fastidium conuertitur,  
 huius verò iucūditas sempiterna est, nullius tædii fastidiue  
 interuentu contaminabilis; illæ haud rarò fœditate sua ex-  
 pergefactas mortalium conscientias excruciant, & pœni-  
 tudinis aculeum in vulneribus animorum relinquunt, con-  
 trà hæc conscientias electorum in Dei sinu suauissimè re-  
 quiescentes, absterfis ab oculis illorum cunctis lachrymis,  
 perpetuo sensu gaudii, immortalitatísque vigore pascit, re-  
 ficit,



## ORATIO FVNEBRIS.

31

ficat & recreat. O beatam Principem, quæ ad clarissimam illam lucem æternitatis eluctata, nunc Deum intuetur facie ad faciem, decertatque boni certaminis *Βεγαλειον*, coronam iusticiæ manibus Seruatoris sui sibi impositam gerit, omni mundano ornatu prorsus infinitis vicibus splendidiorem! O nos econtra calamitosos, qui adhuc in vastissimo pelago mundi huius, hinc inde iactamur & circumagimur interque fluctus tribulationum ad tranquillitatis portum non nisi à longè aspiramus & anhelamus! Æternum verò miseros & deploratos, si omissis constantibus bonis, sectemur euanida, & vnâ cum his perpetuò tandem intereamus! Quod ne fiat, Deum precemur, vt mentes nostras à nugacissimis huius mundi desiderijs auocatas, benignè flectat ad quærendum ea, quæ suprâ sunt, vbi Christus est ad dextram Patris, vt quando manifestatus fuerit Christus, vita nostratum & nos cum illo manifestemur in gloria.

Te igitur, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi toto pectore precamur, vt spiritu tuo nos doceas, quòd moriendū nobis sit, vt ambulemus corde sapiente. Da nobis cognoscere Iesum Christum filium tuum, qui victima factus pro peccatis nostris eripuit nos è potestate tenebrarum, & è manu mortis liberauit eos omnes, qui suam in illum fiduciam præsidiumque collocant. Afflictissimum quoque Principem nostrū spiritu omnis consolationis erige & consolare. Defende illum his turbulentissimis temporibus, eodemque bono & sancto tuo spiritu inclina cor eius ad salutaria cum Ecclesiæ tum Reipublicæ consilia, vt sub Celsitudinis eius imperio quietam placidamque vitam degamus cum omni pietate & honestate. Sed & reliquos illustrissimos Hassiæ principes, Landgraviū VVILHELMVM Ecclesię nutritium scholæque huius Mecœnatem augustissimum:

ncc

nec non generosissimum filium eius, MAVRITIVM, tum  
 verò & pientissimum Landgraviū GEORGIVM, Dominos  
 nostros perpetuæ reuerentiæ cultu humiliter obseruandos,  
 adeoque totam Domum Hassiæ, & quæ huic tot nomini-  
 bus affinis est, Domum Vuirtembergicam singulasque in  
 his familijs columnas; omnes denique Romani Imperij  
 Proceres, potenti tua dextra defende, & largire benignissi-  
 mè, vt sub illorum administratione crescat & illustretur  
 gloria nominis tui, sermo Euangelij currat, conseruetur ac  
 floreat grata pax & tranquillitas Reipub. Christianæ, atque  
 nos tandem absoluto vitæ huius cursu, cum gaudio expe-  
 ctemus resolutionem corporis, eiusdemque beatam in-  
 staurationem in nouissimo die; vbi te, ô sanctè Pater, & fi-  
 lium tuum Mundi Redemptorem, in vnitate coæter-  
 ni & consubstantialis spiritus, sinè fine in-  
 tueamur, laudemus & concelebremus, A M E N.



ELEGIA

# ELEGIA FVNEBRIS IN OBITVM ILLVSTRISSIMAE PRINCIPIS AC DOMINÆ, DOMINÆ HEDWIGIS, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC

Domini, Domini LVDOVICI, Hassorum Landgrauij,  
Coniugis piè defunctæ 4. die Martij,  
Anno 1590.



SAIDES quondam fidibus cantata canoris  
Degeneris Sauli fata necemq; dedit:  
Sanctus Iosiam legitur cecinisse peremptum  
Helchiades, meritum carmina tanta ducem:  
Quæ tu, more bono, iam nunc exempla secutus  
ÆGIDI, Momos nil vereare tuos:

Et decet & pietas simul exigit, inclyta Diuum  
Funera lugubribus condecorare modis:  
Quin quemcung; dolor patriæ tristantis acerbus  
Non mouet, is malus est mente, caretq; fide:  
Aspice qua facie sedeat gemibunda, duabus  
Hæstia patronis iam spoliata suis:  
Aspice quæ dominos ipsos, capita ardua rerum,  
Detineat viduo sollicitudo thoro  
Luctus ubiq; : metu templorum fulcra sacrorum  
Squalida stant, subito ceu tremefacta Noto.  
Oppida cum syluis, & agros, Ederamq; Lanumq;  
Principibus videas condoluisse suis.  
Qui dolor est tantò gradibus modò pluribus auctus,  
Hoc rerum misero difficiliq; statu,  
Quantò, quam rapuit nuper mors inuida Diuam,  
Plura suo patriæ funere damna dedit:

E Et



## NÆNIÆ FVNEBRES.

Et quanto superas viuens dum duceret auras,  
 Pluribus est animi dotibus vsa sui  
 Quid magis addictum recto? quid amanti<sup>s</sup> equi?  
 Quid magis in miseros mite fuisse queat?  
 Præsidium sese, velut est Heroïde dignum,  
 Præstabat viduis, matris & instar erat:  
 Muneribus plusquam largis hilarauit egenos  
 Fructibus haud cassam testificata fidem:  
 Christi fida fuit nutrix: tulit oscula Christo:  
 Præcipuo cultus fouit honore sacros.  
 Adde quod & sapiens & mansuetudinis vsu  
 Lucida mens, intra pectora celsa, fuit.  
 Sæpe suis, iustas raptus LVDOVICVS in iras,  
 Fulminibus meritos edomiturus erat:  
 Illa graues animi magni componere motus  
 Et mollire truces nouerat arte minas:  
 Quales in æstiuo flammantem sidere Solem  
 Temperat & lenit frigore luna suo.  
 Adde, salutifero fruimur quod lumine, quodq;  
 Relligio nobis intemerata manet.  
 Est, fateor, Princeps autor LVDOVICVS, at unâ  
 Hic etiam laudes obtinet illa suas.  
 Constantes ambo, celebres virtutibus ambo  
 Sunt magno meriti laudis honore coli.  
 Omnipotens vrinam tenebrosi victor auernæ  
 Talia det populo lumina multa suo.

Vvolfgangus Heluicus Vinariensis  
 Ecclesiæ prope Marpurgum  
 Pastor fecit.

ELE.

# ELEGIA ALIA.

**D** Langite nunc largis queruli singultibus Hassi,  
 Et malidis, tristes, ora rigate genis.  
 Intima funesto suspendite gaudia luctu,  
 At non nigrescat fusca colore dies.  
 Occubat Hassiacum Sidus, tellure recondens  
 Illustre, HEDVVIGIS, morte necante caput.  
 Solue comas, laceraque sinus, & pectora tunde,  
 Et lachrymas verso funde, Elegia, pio.  
 Anxia luctificas hac exigit hora Camœnas,  
 Hic quod habes, verè nomen habere potes.  
 Funera LVDVICVS princeps gemebunda, perenni  
 Deslet in extremas imbre ruente genas.  
 Atria triste sonant, vox lamentabilis auras  
 Immutat, querulo conditur axe dies.  
 Nobilis aula gemit, plangunt iuuenesq; senesq;  
 Fœmineumq; genus, virgineusq; chorus.  
 Hic non fert viridem, frontem redimita, coronam  
 Hoc longo incedens Syrmate verrit humum.  
 Desleo & ipse simul, deslent hac fata ministri,  
 Immatura pijs, sicut & omen habent.  
 Flebilis auditur querimonia, & undiq; luctus:  
 Conqueritur pauper, Spes cadit ante diem.  
 Sic chorus Isacidum matronas lumine cassas  
 Fleuit, queis sanctè vita peracta fuit.  
 Fallor? an hanc mortem monstrârunt omina cœli?  
 Signaque sideris prodigiosa poli.  
 Scilicet ut Phœbus radios dispergat in umbras  
 Phœbeq; infesta cornua luce notet.

E 2

sic mi-



## NÆNIÆ FVNEBRES.

Sic micat aetherio iam nunc noua stella coruscans  
 Axe, sed & flammam splendida ad astra trahit.  
 Aetheris ora flagrat, velut ardens igne caminus,  
 Inuersororum cardine cuncta ruunt.  
 Diras fames, bellona ferox, morbusq; malignus,  
 Impendent, summis terror ubiq; viris.  
 Mors rapit & terræ mandat virtutis alumnos,  
 Hos inter princeps tu veneranda cadis.  
 Stans verò ad tumulum pietas, audita per auras  
 Hos iactare fuit, voce gemente, sonos:  
 Quis fluctus animi compescere possit? & hostis  
 Temperet à lachrymis? O lachrymosa dies!  
 Plus aloës, quàm mellis habes, absynthia fundis  
 Nubila nymboſis imbribus Auster agis.  
 Vuirtenbergiacis at auis sat a Principis Hassi  
 Splendida pars thalami, conditur heu tumulo.  
 LVDVICI Hassorum Ducis inclyt a fama decusq;  
 Vt flos emoritur, falce metentis, agri.  
 Deliciae fugiunt, angunt tua pectora cura,  
 Veris & illecebras surripit atra dies.  
 Semina diuini Verbi incorrupta fouebat,  
 Suggesti nutrix heu tumultatur humo.  
 Illa ministrorum ter flexa corona bonorum,  
 Ancora doctrina, frangitur ante diem.  
 Pauper inopsq; suam queritur cecidisse salutem:  
 Munifica dextra sepe leuabat onus.  
 Premia virtutis speculo quasi certa licebat  
 Cernere, sollicitæ mentis asylon erat.  
 Signa dabat castæ mentis, patiensq; labores  
 Pertulit impauido pectore, carne crucem.

Huius

## NÆNIÆ FVNEBRES.

37

Huic viduæ multum debent, atq; orphana turba,  
 Hanc norant matrem Xenodochia suam.  
 Sed quid in ambages Syrtes & Sirmata labor?  
 Ingenij vena deficiente mea.  
 At generose animi fluctus composito, Princeps,  
 Et desiderij supprime vota py.  
 Tendimus ad superos, cœlestem querimus aulam,  
 Hæc si vitæ bono sine peracta, sat est.  
 Personat arcum mors, & ineuitabile telum  
 Mortales simili conditione ferit.  
 Non solers medicina habet, inuida spicula mortis  
 Quo tollat, quamuis tollere multa solet.  
 Non Atlantiadis gladius, non Palladis ægis,  
 Non claua Alcide, non cataphractus eques.  
 Non Arabum Gazæ, non quid Pactolus & Hermus  
 Eructant, mortis vulnera dira leuant.  
 O hominum vesana lues, ô pectora ceca,  
 In latebras mundi quid cecidisse iuuat!  
 Vita breuis restat, volucrig; simillima somno:  
 Decurrunt anni more fluentis aque.  
 Ut rosa manè nitens post Solis aduritur æstu:  
 Talis vita hominis, flosq; vigorq; breuis.  
 Liquitur ut fumus, faciles & transit in auras,  
 Labitur ut sermo, pennaq; vita fugit.  
 Sin viuas letus, bis septem lustra vel octo,  
 Est vita infelix, est labor atq; dolor.  
 Si tibi Mathusaleth senium, si mille decembres  
 Contingant, tamen est, nil nisi triste mori.  
 Causa latet multos, multiq; inquirere nolunt,  
 At causa in promptu est: ira furorq; Dei.

E 3.

Crimina

## NÆNIÆ FVNEBRES.

Crimina nostra Deum ledunt, ut puniat illa,  
 Inuitum irritant crimina nostra Deum.  
 Præmia consequimur, capimus stipendia mortis,  
 Mors vltrix, centum pullulat, hydra, malis.  
 Cui grauis ira Dei nota est æstusq; furoris?  
 Cui validæ vires, iustaq; iudicia?  
 Tot post ærumnas, tot post incommoda vita,  
 Quæ perferretamen crimina nostra iubent.  
 Nulla Salus nobis in te nisi Christe parata,  
 Nulla Salus nobis, te nisi dante, venit.  
 Sanguine das vitam, tu sanguine destruis orcum,  
 Spicula credenti nulla nocere queunt.  
 Si mors dissoluat nutantia vincula mentis,  
 Obsequium Corpus, mens petit astra, facit.  
 Hæc ubi perpetuò letans pia turba triumphat.  
 Et Christi laudes omnia secla sonant.  
 Credidit hæc animo quondam illustrissima Princeps  
 HEDVIGIS semper, non dubitante fide.  
 Nam licet omnipotens ipsi loca summa locarat  
 Diuina agnouit sic bonitatis opus,  
 Indos ut lapides auroq; monilia clara  
 Non nisi sint mundi flebile ferret onus.  
 Non immorigeram Domino se præbuit unquam,  
 Sustulit & Christi cum grauitate iugum.  
 Sub cruce vera fides vicit, patientia vicit.  
 Victa licet telis, mors truculenta, tuis.  
 Sed non tota tamen victa est, Ius corporis huius  
 Parte aliqua tantum, parta seuerat enet.  
 Nam piè anhelantem ad cælestia gaudia Christus  
 Suscipit, ac animæ vincula morte leuat.



## NÆNIÆ FVNEBRIS.

39

*Nos mandamus humo sanctum & lacrimabile funus,*

*Supremas agimus corporis exequias.*

*Depositum Christus servabit, cetera tellus,*

*Angelico donec clanget ab ore tuba.*

*Tunc æterna Deus spirantes gaudia partes*

*Coniunget, cernent lumina clara Deum.*

*Nunc expectamus nostra quoque parte salutem*

*Signantes tali strata sepulcra pede:*

**LVDVICI HEDVVIGIS Coniux pia Principis Hassæ,**

**VVIRTEMBERGIACO stemmate creta ducum.**

*Hac requiescit humo, sed corpore, Spiritus, acri*

*Cum desiderio, cælica regna tenet,*

Daniel Coruinus, Ecclesiæ Broms-  
kirchensis Pastor ultimæ pieta-  
tis & honoris ergo fecit.

ILLV.



627.

Προσωποποιία

ILLVSTRISSIMÆ PRIN-  
CIPIS ET DOMINAE, D. HEDVVI-  
GIS, ILLVSTRISSIMI (piæ memoriæ) PRIN-  
cipis ac Domini, D. CHRISTOPHORI, Ducis  
Wirtembergici & Tecci, &c. filia,  
consolantis

ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM  
ET DOMINVM, D. LVDOVICVM,  
HASSIAE LANDGRAVIVM, &c.  
Coniugem suum mœstif-  
simum.



ATA quid, ô Coniunx, amisse Coniugis alto  
Tam gemitu defles? cur sinè sine doles?  
Quid prodest nimirum querulis mœroribus angi?  
Quid manes planctu sollicitare iuuat?  
Seu fulgens croceis Aurora cubilibus exit,  
Seu fessos Titan gurgite tingit equos.

Laude sua dignus dolor est, quem temperat ordo  
Et modus: at nimius commouet astra dolor.

Desine tabificis vitam exanimare querelis,  
Affectusq; pijs contrahe vela precor.  
Non obij, sed tantum abij: quia rector Olympi  
Nostra à conspectu subtrahit ora tuo.  
Qui pater aetherius sociam vitæq; toriq;  
Me dedit, abripuit, care marite, tibi.

Omnia



## IN ÆNIAE FVNEBRES:

41

Omnia sunt hominum patienti mente ferenda,

Quæ luctu reddi non leuiora queunt.

Non est cuiusuis, iacturam & tristia damna

Connubij infracto vultu animoq; pati.

In primis si sancta fides, amor vnus, & vna

Mens gemino geminos suasit amare sinu.

At tu forti animo, Princeps fortissime, sortem

Aduersam & casus vince ferendo graues.

Non etenim gelidas fugit mea vita sub umbras;

Sed subijt nitidi flammea tecta poli.

Quà dulci ambrosia pascor: quà corda piorum

Sanctus inextincta luce serenat amor.

Hic pax, hic requies, hic gaudia vera triumphant:

Exulat hinc mæror, mortis imago, lues.

Siste igitur nimias Coniunx LVDOVICE querelas:

Sit modus in gemitu: viue valeq; Deo.

Mors certò sua quemq; manet: semel omnibus vna

Est calcanda via, hæc meta terenda semel.

Hac Patres, Reges, pariterq; iuere Propheta:

Hæc etiam nobis meta terenda datur.

Lamentis pretiòue nequit mors aspera flecti,

Nec se terreri Marte vel arte finit.

Quin Princeps LVDOVICE mihi gratare fruenti

Cælestis regni nobiliore domo.

Non ego si possem tellure resurgere rupta,

Optarem reddi, sordide munde, tibi.

Nam quid in immundo mundo est, nisi flebilis angor,

Et labor & crucians anxia corda dolor?

Exulat alma Charis, Virtus, Concordia, Candor,

Sobrietas, verum, religiosa fides.

F

Grassatur

Grassatur feritas, vitium, discordia, fucus,  
 Ebrietas, falsum, perfidiaq; scelus.  
 Nunc homines tristi exagitat Bellona flagello,  
 Nunc vrbes violat pernicioſa lues.  
 Mox iterum velinops inopes annona moleſtat,  
 Vel fremitus diros ſors furibunda tonat.  
 Præcipuè Inferni Rex, Mundus, & improba carnis  
 Luxuries Sanctis horrida bella mouent.  
 Hos contra vigilare omnes decet acriter hostes,  
 Nè victi ad ſtygias præcipitentur aquas.  
 Pugnaui in vita, vici, palmaeq; coronam  
 Auspicio Chriſti præſidioq; tuli.  
 Hinc velut emeritam rude me donauit, & alma  
 Conceſſit ſuperum Rex mihi pace frui.  
 Viuo equidem curarum exors, viuo addita turmis  
 Aligeris, viuo non moritura Deo.  
 Oſſa licèt terræ exiguis condantur arenis;  
 Mens tamen æterna gaudia lucis agit:  
 Qualia non oculus vidit, non audiit auris,  
 Non cor percepit, nec dare lingua poteſt.  
 Ergò ſalutares obitus deplangere noli  
 Coniugis, at ſletus contrahe vela tui.  
 Tempus erit, quando tibi ego cæleſtibus oris  
 Reddar, ubi lituus ſigna ſonosq; dabit.  
 Dexteratū dextra iungetur, & ardor ouantes  
 Mutuus excipiet, gloria, vita, ſalus.  
 Interea lacrymas cohibe, funeſtāq; ſortis  
 Damna tuæ noſtra ſorte, marite, leua.  
 Vive memor lethi: pia ſit tibi cura clientum:  
 Sit tibi commiſſus Relligionis honos:

Te duce

NÆNIÆ FVNEBRES.

*Te duce Cattorum surgat sors, gloria, nomen;  
Tuq; diu ut valeas, VIVE VALEq; DEO. & c.*

EPITAPHIVM.



IC cubat HEDVVIGIS LVDOVICI regia

CONIVX

LANDGRAVII, *Hæſorum gloria, fama, decus.*

*Hanc genuit natam Dux Vvirtembergicus olim.*

*Qui blandum à Christi nomine nomen habet.*

*Defunctam luget querulo mærore maritus,  
Dum miser aspectat pro thalamo tumultum.  
Lustra nouena ferè tranſegerat inclyta Princeps,  
Clausit ut extremo fata ſuprema die.  
In vita fidei clypeo munita beata,  
Vixit amata DEO, vixit amata viro:  
Pauperibus columen, viduis ſolamen egenis,  
Confugium templis, præſidiumq; ſcholis.  
Cuius lingua dolis, frons aſperitate, notando  
Vita omnis caruit crimine, felle iecur.  
Aduerſis non fracta fuit, non ebria dulci  
Fortuna faſtum corde oculiſue tulit.  
Sed conſiſa DEO ſortem tolerauit vtramq;  
Et Domini meminit ſub cruce iuſſa ſequi.  
Hinc ſuperis immixta choris cæleſte ſacrarum  
Carpit opum fœnus, non leue funus agit.  
Membra quidem trifti tumulto depoſta quieſcunt,  
At mens ſtellantis viuit in arce poli.*

F 2

Disce



## NÆNIÆ FVNEBRES.

Disce mori, quicumque viges, quicumque superbis  
 Aut genere aut forma. Mors sua quemque manet.  
 Mors regum aërias turres, inopumq; tabernas  
 Pulsat, & æquali singula falce metit.  
 Felix qui spreta morte ætheris expetit aulam:  
 Et fixam in Christo spemq; fidemq; tenet.

**DISTICHON CHRONOGRA-  
 PHICVM CONTINENS ANNI NVME-  
 rum & Zodiaci signum obitus Illustrissimæ Prin-  
 cipis ac Dominae, Dominae HEDVVIGIS,  
 Hassiæ Landgraviæ, &c.**

**O**CCIDIT Hassiæ PrInCeps HeDVVIGIS In orIs,  
 Vt SoL In properIs plS ClbVs Vrsit Iter.

*ALIVD DISTICHON COMPRE-  
 hendens Annum, Mensem & Diem  
 obitus eiusdem.*

**H**orrifIco MartIs qVartI hIC eXtInCta fVrore  
 HeroIna CVbat: spIritVsastra CoLIt.

*M. Georgius Meisnerus  
 Lubecensis Saxo F.*

**EΛE-**

ΕΛΕΓΙΑ ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ  
IN OBITVM ILLV-

STRISSIMAE PRINCIPIS AC DO-  
MINÆ, DOMINÆ HEDWIGÆ, EX IL-  
LUSTRISSIMA DUCVM WIRTENBERGENSIUM  
stirpe oriundæ: Illustrissimi ac Christianismi Principis LVDOVICI,  
Landgrauij Hassiæ, &c. longè charissimæ Coniugis; quæ  
piè in Domino obiit die 4. Martij,  
Anno 1590.



*HASSIA* laticia festiuas exue vestes,  
Et tristem casum plangere disce tuum.  
Nempe tibi magnum portendunt Chasmata lu-  
ctum,

Nocturno in fausto hoc tempore visa polo.

Nam tua discessit PRINCEPS materq; benigna  
HEDVVIG, Hassiaca gloria summa domus.

Qua, moderante DEO, præcelso è stemmate creta  
Virtenbergiaco de patre nata Duce,  
Imbibit à teneris sanctæ pietatis amorem,  
Cognoscens vera Relligione Deum.

Amula maiorum probitas fulgebat in illa,  
Et variè ornabat membra tenella Charis.

Ætatis cursum comitata est inclyta virtus,  
Gratior unde homini, gratior unde Deo.

Quodcùm LVDVICVS Princeps fortissimus heros  
Perfugium populi præsidiumq; sui,  
Cerneret, & miras generoso in corpore dotes  
Conspiceret, verè tu mea, dixit, eris.

F 3

Illa

Illa dignus erat nulli virtute secundus:  
 Tamq̄ illa illustri Principe digna fuit.  
 Mutuus vnde & amor pia pectora pulsat utringq̄,  
 Quod summa stirpis splendor uterq̄ foret.  
 Consilium placuit prælustri utriusq̄ parenti,  
 Firminus ut fieret fœdus amicitia.  
 Numine propitio sociantur fœdere sancto,  
 Cattorum ô celebris gloria quanta domus!  
 Illius aduentu tota Hassia penè triumphat:  
 Musæ gaudentes carmina leta canunt.  
 Sic sibi gratantes Dominam virtute nitentem,  
 Quæ genti & studijs commoda multa ferat.  
 Subiectos populos illa est amplexa vicissim,  
 Omnibus & facili pro bonitate fauet.  
 Sinceram illustres quam defendere parentes,  
 Constanter seruat pectore & ore fidem.  
 Lectio quam Verbi & meditatio firmat & usus  
 Cœnæ, quæ ratio summa salutis inest.  
 Proxima cura illi est illustrior ipse maritus,  
 Cui quàm chara fuit? dicere nemo potest.  
 Cura domus illi paradisi erat instar amœnæ,  
 Sedula diuina hanc ornat & auget ope.  
 Et labor & Domini solius gratia ditat,  
 Si comites habeat vota precesq̄ labor.  
 Quid de Presbyteris referam, qui oracula Christi  
 Cum Zelo & vera dexteritate docent?  
 His sua munifica præbet stipendia dextra,  
 Hos animæ vigiles nutrit, honorat, amat.  
 Afflictis, viduis, egris, in carcere vinc̄tis,  
 Omnibus hæc matris præstitit officium.

Quid



Quid multis? fuit hæc viua virtutis imago,  
 Mathusale longos viuere digna dies.  
 Felicem ô Dominum LVDVICVM Principe tanta  
 Viva, parte sui nobiliore thori.  
 Fortunam aſt subito ſubuertunt inuida fata,  
 Leticiaq; locum luſtus acerbus habet.  
 Inualuit quoniam per viscera membraq; morbus,  
 Carniuoro ſenſim ſingula dente terens.  
 Pæonia quamuis non deſſent arte periti:  
 Nihil iuiſſe tamen pharmaca cuncta queunt,  
 (Scilicet eſt nulla morbus medicabilis arte  
 Fatalis, docta hoc plus valet arte malum)  
 Donec mutaret vitam cum morte perennem.  
 Sic varias adfert ſors inimica vices.  
 Sic mors eſt lucrum, ſic funus fænus habendum,  
 Quis pia deſunctis vita peracta fuit.  
 At lacrymoſa dies piceis obducta tenebris,  
 Qua Cattum decus & ſtella coruſca cadit.  
 Principis hinc igitur LVDVICI nobile pectus  
 Comprimitur, merito & vulnera magna dolet.  
 Nobilium, procerum cætuſ ſlent, veſtibus atris  
 Induti, vt ſimiles ſint dolor atq; color.  
 Pieriaq; madent lacrymarum ſtumine Muſæ,  
 Quod nutrice pia iam careant Domina.  
 Singula quid memorem? plorant hanc ſummus & imus,  
 Doctus & indoctus, ſexuſ vterq; ſimul.  
 Optime ſed quamuis Princeps per magna doloris  
 Cauſſa ſit in promptuſ ſat manifeſta tibi:  
 Siſte tamen lacrymas, planctus moderator habenas,  
 Eſſicit immodicus plurima damna dolor.

Scilicet

*Scilicet hic vitam sensim abbreviare, necémq;  
 Ferre solet, quare hunc rejice, linque, fuge.  
 Magnum hoc solamen dextrè perpendere oportet,  
 Erigere ut tandem pectora mastaqueas:  
 Constituit Dominus quòd metam cuiq; dierum,  
 Quam quis viuendo transilijse nequit.  
 Quin etiam voluit nostros numerare capillos,  
 Eius & arbitrio viuimus & morimur.  
 Hæc etiam magna est, Princeps, medicina doloris,  
 Coniunx luce tibi clarior illa magis,  
 Quòd postquam tincta est sancta Baptismatis vnda,  
 Creuerit in cultu notitiaq; Dei.  
 Quòd licet innumeris fuerat concussa procellis:  
 Non tamen à vera est naufraga facta fide.  
 Quòd viua fidei fructus declarat abunde,  
 Ordine quem solum pagina sacra docet.  
 Eius quòd fuerat Confessio semper aperta  
 In Christum solida proficiente fide.  
 Quòd sponte hæc voluit Mundana relinquere cuncta,  
 Conspectu & Christi ritè soluta frui.  
 Confessa est crebrò sumpsitq; viatica vita,  
 Ut sic immunis tutaq; ab hoste foret.  
 Nec detorquebat Verborum in fœdere sensum,  
 Facit ut nimium turba quietam minus.  
 Sed veluti soboles charipia iusta parentis  
 Audit, & audita in simplice corde tenet:  
 Sic illa & nunquam dubitauit credere Christo,  
 Qui verbis iussit pondus inesse suis.  
 Utq; alios inter doctissimus Hunnius audit,  
 Devota hæc voluit simplicitate mori.*

Quòd

## NÆNIÆ FVNEBRES.

49

Quod moriens iunctis sic dixit ad aethera palmis:

Suscipe spiramen iam bone Christe meum.

Felices vere atq; ex omni parte beati,

Qui vitam in Domino sic posuere suam.

Sapius hac repetas decet, illustrissime Princeps,

Consilium ut videas propositumq; Dei.

Nempe quod ereptam nobis mortalibus illam

Transuehat ad superos Angelicosq; choros.

Pone igitur sletum, fortemq; recollige mentem,

Sit nobis luctus tristitiaq; modus.

Sit tibi Relligio cordi, doctaq; Camana:

His quoq; sacros pasce, tuere, fove.

Te agnoscat Christi patronum Ecclesie promptum:

Compatiens miseris sit tua larga manus.

Et quamuis seui feriant tua carbasa venti:

Ancora firma tibi spesq; fidesq; sient.

Sic poteris tandem tranquillum attingere portum,

HEDVVIG quo fruitur libera, leta Deo.

O Deus omnipotens fons & bonitatis origo,

Qui moestis semper mitis adesse soles:

Aspice LVDVICVM hic onere atq; labore gementem,

Hasiacamq; diu protege quæso domum.

Iohannes Erici Salemontanus

Suecus, SS. Theologiae

studiosus.

G

Διαλογισμός

Αδελφ.

Διαλογισμὸς ἑπικλήσειθ.

# ΕΣ ΘΑΝΑΤΟΝ ΤΗΣ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΗΣ ΚΑΙ ΓΕΝ.

ΝΑΙΟΤΑΤΗΣ ΗΓΕΜΟΝΙΔΟΣ ΕΔΒΙΓΗΣ,  
τῆς, τῆς εὐγενεστάτης, γενναιοτάτης καὶ θεοσεβειστάτης ἡγεμόνης  
καὶ κρείσ, κρείσ ΛΟΥΔΟΙΚΟΥ, Λανδγραβίς ἐν τῇ Ἀσάδι,  
κρείσ τῆς Κατήμελιβόκας, τῆς Δίτζ, τῆς Αἰχσπόλεως καὶ τῆς  
Νιδδά, αὐτῆς μελιχρότατης καὶ φιλότατης: γναμκὸς παροσφι-  
λεστάτης, ἐν θεῷ τῇ τετάρτῃ ἰσαμύς μηνὸς μηνυχιάνης  
ἢ μαρτίς, πῶ ἔπει τῆς τῆς ἀνθρωπίνης γένεως

λυτρώσεως, α φ 4,

θανάσις, κ λ.

## ΗΓΕΜΟΝΙΣ.



ΣΤΙΣ ἔχεις θυμὸν θαλασίφρονα δειρ' ἀφίκανε  
Καὶ τέττε τύμβον φράζεο χροσά ἔπει.

Αὐτῇ ἐγὼ, πολλὰν ἀλλὰν πει ἔσα γναμκῶν,

ΕΔΒΙΓΑ τύμβον ἔχω ἐνθάδε ἀκρότατον.

Μοὶ δέμας αὐτὸς ἔδωκε θεὸς, ψυχὴν τε γένεσ τε,

Μοὶ βασιλευέμμου δῶκε θεὸς γενετήρ.

Μοὶ νόον ἠδ' ἀρχὴν πλείστην θεὸς αὐτὸς ἀπνύρα,

Αὐτὸς ἀπνύρα ἐμῆ πλὴν βασιλείαν ἐμήν.

Οὐδὲ ἀεικὲς ἔφυ, (τῆ γὰρ ἡράτος ὅστι μέγιστον,)

Αὐτὸς ἔδωκε ἐμοί, αὐτὸς ἀπνύρα ἐμοί.

Τῆ ΛΟΛΟΙΚΟΥ ἔλω ἄλοχος τῆς Ἀσάδος ἀρχὸς

Πάσις, πῶ τε θεῷ τοῖς τε βροτοῖσι φίλος.

Ὡφελίμη οἱ ἔλω εἰδύη δήνεα κεδνά,

Αἰδία οἱ ἔλω τῇ φιλότητι αἰεί.

Ἀσάδι

## NÆNIÆ FVNEBRES.

51

Ἀσάδι πάση ἔλυ πμὴ καὶ ἔρκος ἔγωγε,  
 τόν τε θεὸν περίληκ' ἐκ ἱεραδῆς καθαρῆς.  
 Λινῶ ἔγωγε ἔλυ κλεινῆ, δυνάμει τε μεγίστη,  
 τοῖσι πένησι ἔδων ἀρῶμα πάντα βίης.  
 Ἄλγεσιν ἐν πᾶσιν καὶ θυμοβόροισι μερίμνης,  
 Σεμνολόβην καθαράς παμμεδέοντα θεόν.  
 Οὐδένυ λυγρὸν ἐμοὶ τὰδε ἤρκεσε πάντα ὄλεθρον,  
 Ἄλλὰ ὅμως ἱερατερῆ μοῖρα κίχανεν ἐμέ,  
 ὅκ' ἐπὶ εἶδον ἐμῆς γαστρὸς πολυήρατα τέκνα,  
 Ὅταν δαμνώμην τῷ θανάτῳ κρυερῷ.  
 Οὐδέ γε τῶτο ἐμοὶ πίκτει γόνυ, αὐτὰρ ἐκείνο,  
 Ὅτι ἄμετρον ἔχει πένθος ἐμεῖο πόσιν.  
 Ἦδη ἐμεῖο ἔβη ψυχὴ εἰς ἕρανὸν εὐρύ  
 Καὶ κλήρος μετέχει αἰδίοιο βίης.  
 Ἐνθάδε μὲν κατὰειθμείται πᾶσιν μακάρεσσιν,  
 Παρδύνατον χαίρει εἰσανιδεῖσα θεόν.

## Ἡγεμών.

Εἴ π' ἔοικε δόμῳ λύτρον θνητῶν ἕσθ' ἀνδρῶν  
 Ἦδ' αὐτὸς λύσαι ἐκ θανάτοιο πεδῶν.  
 Νημερτέως σε λύοιμι σπὸ ἱερατέρῃ θανάτοιο,  
 Σὺ ἕσθ' ἀργεῖς πλείστα τάλαντα δοίλω.  
 Ἀλλ' ἔπως μὲν ἔοικε τσηλεγεῖος θανάτοιο  
 Ἐκλύσειν αἰδρας χρυσῷ ὀπιθονίης.  
 Γῶτο δὲ (οἷον ἐμόν γε μένθ' ) ποιήσω ἐκοντή,  
 Ὅφρα' σὺ ζώσης ἀθάνατος κλέει.  
 Ἐς χερόνον αἰδίοον σευ μνήσομαι ἀχνύμενθ' κῆρ  
 Ἄλγεα πλείστα ἔχον, δάκρυα πλείστα λιβῶν.

G 2

ἠγεμονίς.



## Ἦγεμονίς.

Παῦε φίλιτε πόσις κλαυθμοῖο, γόοιο τε σοῖο  
 Κῆρα μέλαινα ἐμὴν παῦε φίλιτε γοῶν.  
 Οὐ γὰρ ἔοικε βροτῶ μέλαινα θανάτοιο ἀλύξαι  
 Κῆρα κακὴν, αὐτὰρ πάντες ἕασι βροτοί.  
 Κηεὶ κακῆ μέλαινα θανάτου ἔσθ', ἔνευ' ἄμαρτον,  
 Ἥ νέου ἢ γέρον ἢ μέσος τις ἀνὴρ.  
 Παῦε φίλιτε πόσις, ἵνα μὴ κρατέρ' ἀλγέ' ὀπιπασῶ  
 Κηδοκυῖω τε ὁμῶς τῆς φρεσὶ ἔλοιδύω.  
 Ὅτι ἀπήνερα ἐμεῖο βίης θεὸς αὐτογενέθλης  
 Τῆτο πῶ βιοτῶ πρὸς θεὸς ἠσθ' ἀνάξ.

## Ἦγεμών.

Εὐχόμεν ὡς λέξῃ σε χυτὴ κατὰ γαῖα καλύπτεν  
 Ἥ τις ἔποδα γρόνθ' ἀξίη αἰδίου.  
 Αἰδίου τε χαρῆς σπύνηναι πνεύματι θεῷ  
 Εἰσανιδῶν ἀγίης εἰσανιδῶν τε θεόν.

## Ἦγεμονίς.

Εὐχόμεν ὡς δηρὸν τὸν σείειον ἠδὲ σελιῦω  
 Ἄσρα τε, τὰ κυέχει ἔρανος εὐρές, ὄρεῖς,  
 Σόν τε ὄρεῖς λαὸν σόν ἐμμοναί' ἔδ' ἄπολέσθαι  
 Σοι πείθοντα αἰεὶ ἠδὲ δίδοντα κλέου.  
 Θαρσαλέως ψυχὴν παρέχω θεῷ ὑψιμέδοντι,  
 Ἐλπόμευθ' ἰεῖν ὑὸν ἀρωγὸν ἐμοί.  
 Πιστοκυῖη πίσιωθ' εἰν ἰρῶ πνεύματι γνήσκω,  
 Ἐλπόμευθ' ἄριστον ἠπιον εἶναι ἐμοί.

Zacharias Palthenius Fridbergen-  
 sis, natu tertius, Philosophiæ &  
 græcæ linguæ studiosus F.

ALIVD.

## A L I V D.



EDVIGA, quæ fuerat longa dignissima vita,  
 Occidit è nostro sæmina raptâ choro.  
 Sed comes æthereæ iam vivit iuncta corona,  
 iamq; videt Sanctos, iamq; Deum proprius.  
 Aeternam famam in terris, laudemq; decusq;  
 Mortua sit quamvis, tempus in omne gerit.

ΕΨΙΚΗΔΙΟΝ ΤΑΥΤΗΣ  
 ΕΚΕΙΝΗΣ ΤΗΣ ΕΔΒΙΓΗΣ, ΗΓΕΜΟ-

νίδος Γκιρτενπυργείνης, ΛΟΥΔΟΙΚΟΥ, τῆ τῶς Κάτων  
 Λαυδραβίς λαμφοβάττ, χιλ. ἀλόχου, ἧς μνήμη  
 ἔστιν ἐν τοῖς ἀγίοις, πολυ-  
 φιλάτης.



Υμῶσ ὁδ' ΕΔΒΙΓΗΣ νεκρὸν δέμας αὐτὸ κατείρ-  
 Γκιρτενπυργακού ἢ πολ' ἔρφομα γένεσ. (γελ)  
 Ἡ ζωῶσα ἔλω ἀλόχος ΛΟΔΟΙ'ΚΟΥ ἀρίστη  
 Λαμφοβάττ, χειρῶ ἠδὲ βροτοῖσι φίλη.  
 Τὸν βίον εὐτάκτως διάγει, θεὸν ἀσθεροποιτῶ  
 Γινώσκην ἔμαθεν κ' ἐκ Κραδίης φιλέειν.  
 Πάποτε ὠφέλεει πάντας, χήρας τε πενιχρῶς,  
 Οὐδέ μ' ἔστι μέγας μισθὸς ἐν ἔρανοῖσι.  
 Σωμ' οὐκ ἂν εἴλει θάνατος καὶ μοῖρα Κραταίη.  
 Ψυχὴ ὅμως ζώει δώμασ' ἐν ἀθεεῖσι.  
 Πῶ βιοτεύει αἰεὶ τοῖς Ἀγγελικοῖσι μιγεῖσα  
 Πνεύμασι τῆς ζωῆς δῶρα λαβῶσα παλά.

Jacobus Myccius Neomor-  
 schensis Cattus Helenopoli F.


FRANCOFVRTI  
AD MOENVM, EX-  
CVDEBAT IOANNES  
SPIES.



M. D. X C.









QX 7 n 3244

nc




ULB Halle  
002 694 45X

3








II n  
3244

ORATIO FVNEBRIS,  
DE VITA ET MOR-  
TALITATE CHRISTIANISSIMÆ  
PRINCIPISSIMÆQUE PRINCI-  
PIS DOMINÆ, DOMINÆ HEDWIGIS,  
LUCI, Landgrauij, &c. dilectæ Coniugis, è celsissima  
in Wirtebergenfium ac Teccenfium domo fami-  
liarum; oriundæ, quæ Anno salutis humanæ 1590.  
die 4. Martij, Martpurgi Cattorum,  
piè in Domino ob-  
dormiuit:

SCRIPTA ET RECITATA PVBLICE  
22. die Mensis eiuſdem,

A B

GIDIO HVNNIO, S.  
THEOLOGIÆ DOCTORE ET  
*Professore in Academijs  
Marpurgensi.*



ANCOFVRTI AD MOENVM  
EXCVDEBAT IOAN-  
NES SPIES.

M. D. X C. J

